Societati philologicae
sacrum.

Schedae criticae

scr.

Gustavus Wörpel,
stud. phil.



Kiel 1899.
Druck von H. Fiencke.

Societati philologicae
sacrum.

Schedae criticae

scr.

Gustavus Wörpel,
stud. phil.



Kiel 1899.
Druck von H. Fiencke.

Commilitones carissimi!

Discessurus de universitate Kilionensi diu multumque haesitavi, qua potissimum ratione vobis possim debitam gratiam referre. Denique animum induxi eligere aliquot emendationes a me prolatas, quibus nonnullis Aristophanis et Euripidis locis nondum persanatis medela afferatur. Haud anceps aut temerarium mihi videtur esse hoc litteris mandare, praesertim cum magna illa quibus laborant scripta veterum incommoda nisi consociatis permultorum studiis superari nequeant. Sed cum vix nulla in arte facilior sit error quam in critica, indulgenter habeatur, quisquis ad eam exercendam aggreditur, cum alii tum ego, utpote sim tiro in litteris philologicis. Etiamsi multae res in dissertatiuncula mea tractatae tenues atque exiles videntur, tamen has pagellas nolite iudicare spernendas! Si quid exstabit in iis, quo vobis persuadebo, hoc erit mihi summo gaudio, si minus, mea me consolabor conscientia veritatis me fuisse studiosissimum.

Ar. Equ. 555.

μισθοφόροι τριήρεις.

Kayserus his verbis docet subesse sensum *τοῖς πολίταις μισθὸν φέρουσαι;* quod nimis iners ac languidum esse nemo non videt. Significatio „mercennarios milites gestantes" (mit söldnern bemannt) prorsus inusitata est neque ullo comprobatur exemplo. Velsenius coniecit *ἱστοφόροι,* epitheton inane et inutile. Quare videas, ne sit scribendum *ἱπποφόροι*, quod meo periculo proposuerim atque habeo persuasum me haud longe a vero aberrasse. Aristophanes hisce cum verbis iocatur in expeditionem ab Atheniensibus in Peloponnesum susceptam, cui praeter hoplitas etiam ducenti intererant equites, quibus ex lege vacatio erat militiae data. Qui equites legem pertulerunt, ut naves onerariae exornarentur, quibus equi sui in Peloponnesum transportarentur. (*ἱππαγωγοὶ τριήρεις* 599). Thuc. IV. 42. 1. Kockii praef. § 19. Has *ἱπποφόρους τριήρεις* Neptunus, quem delectant equi acres et *μειράκια λαμπρυνόμενα ἐν ἅρμασιν*, clementi propitioque animo averruncavit. Quam ironiam Atheniensibus omnibus plane dilucidam esse poeta pro certo habere licuit, quoniam expeditio illa haud multo ante nostram tragoediam agendam fiebat. Ceterum in verbis *ἱπποφόροι τριήρεις* notandum est *σχῆμα παρ' ὑπόνοιαν*, cum quivis animo exspectet *ἀνδροφόροι τριήρεις*.

ibid. 707.

ἐπὶ τῷ φάγοις ἥδιστ' ἄν.

sic codd. Kockius recte adnotat structuram *ἐσθίειν ἐπί τινι* ferendam non esse; qua de causa proponit *ἐπὶ τῷ φαγὼν ἥδοιτ' ἄν,* quod etiam in textum recepit nulla necessitate, ut mihi videtur. Vehementissime me qui-

dem in Kockii coniectura offendit aoristus φαγὼν, immo esset ponendum tempus praesens, cum Cleon laetari possit nonnisi dum edit, non postquam edit.

Ego vero lectionem codd. tenere ausus sim, statuens σύγχυσιν, quae vocatur, duarum constructionum, quà re in sermone cotidiano nil est frequentius. Putaverim enim primum isiciario obversatum esse hoc enuntiatum ἐπὶ τῷ (τίνι) ἡδόμενος φάγοις ἄν; deinde vero subit sententia τί φάγοις ἥδιστ᾽ἄν: utrumque confundebatur atque hunc in modum scructura est orta, ut in textu sese habet. Mutandum certe nihil est.

ibid. 1079.

ἐγὼ πορίῶ καὶ τοῦτον ἡμερῶν τριῶν.

Isiciarius pollicetur se stipendium militibus iam dudum non persolutum comparaturum esse atque addit καὶ τοῦτον (μισθὸν) ἡμερῶν τριῶν. Vulgo adnotant commentatores eum acerbis facetiis cavillari Cleonis verba, quibus se Lacedaemonios, qui in insula Sphacteria inclusi tenerentur, intra viginti dies aut vivos Athenas esse adducturum aut illic interfecturum in se receperat. Thuc. IV. 28. 4. Attamen hoc speciosius est quam verius. Etenim ἡμερῶν τριῶν non potest esse genetivus temporis (binnen drei tagen), sed qualitatis, pendens ex μισθόν (sold für drei tage). Hoc vero quam sit debile, quis est, qui non videt? Itaque haud scio an sit scribendum ἐγὼ πορίῶ καὶ σῖτον ἡμερῶν τριῶν, ad quod ducere videtur etiam scholium, quod, ni ita res sese haberet, perobscurum esset: εἰώθασιν εἰς τὸν πόλημον ἐξιόντες οἱ στρατιῶται λαμβάνειν τροφὴν ἡμερῶν τριῶν. Sales igitur in eo sunt, ut profiteatur isiciarius se id esse comparaturum, quod militum ipsorum erat curare. cfr. Ach. 197, Pac. 312.

ibid. 1162 sq.

ἀλλ' ἦ μεγάλως εὐδαιμονήσω τήμερον
ὑπὸ τῶν ἐραστῶν νὴ Δί' ἢ 'γὼ θρύψομαι.

Scholiasta θρύψομαι ἀντὶ τοῦ συντριβήσομαι usurpatum esse nugatur. θρύπτεσθαι verbum proprie dicitur de eo, qui amatur, cum sui copiam facere recusat; nostrates „spröde thun, nicht zu befriedigen sein" dehinc: „verwöhnt sein". Kockius annotat: die vulgata stellt eine sinnwidrige disiunktion auf; quam ut sermonis asperitatem leviget, in medium fert: ἢ 'πιτρίψομαι. Bergkius proponit: ἢ διαρραγήσομαι — utrumque est supervacaneum. Equidem vitium tantummodo arbitror haerere in explicandis vocabulis ἢ—ἢ, quae omnes adhuc viri docti ut „aut — aut" acceperunt. Mea vero sententia prius ἢ artissime cum ἀλλὰ coniungendum est, cum altero ἢ ne minima quidem intercedit ratio. Illud ἀλλ' ἦ elliptice est explicandum: ich müsste mich irren, oder etc.," deinde plane in formulam abiit atque significat nihil aliud nisi nostrum „sicherlich, gewiss". Apud Aristophanem haec ἀλλ' ἦ verborum iunctura minime infrequenter nobis est obvia, veluti in ipsa nostra fabula 780, 953, in Pac. 475, Vesp. 984, Lys. 427; Fr. 439, 1130.

Quod attinet ad alterum ἢ, quodammodo vices asseverationis particulae gerit: oder ich werde verwöhnt sein i. e. ich bin sicherlich nicht verwöhnt. Sensus igitur horum versum est is: „heute will ich mich gewiss von meinen liebhabern pflegen lassen, so wahr ich nicht verwöhnt bin."

ibid. 1180.

καλῶς γ' ἐποίησε τοῦ πέπλου μεμνημένη.

Isiciarius Demo assum attulit, a dea Minerva id

esse paratum asseverans. Demus respondet: recte facit, quod haec dona mihi obtulit dea, nempe munus munere pensat: ego ei peplum consecravi, illa mihi pro eo dat assum pulcherrimum. — Quam acute et prudenter disserit subito Demus! Itane vero? Equidem haud possum adduci, ut credam tam vegetae mentis ac cogitationis esse Demum, quem sexcenties nobis describit poeta ut hominem stolidissimum neque ulla praeditum ratione. Consideres sis, quae cetera verba loquitur Demus: iam invenies ubique eum aliquid pronuntiare de cibis, qui a Cleone vel ab eius adversario sibi praebentur. Itaque hisce quoque in verbis tale quid est quaerendum*), quod facile potes assequi, modo levi medela pro *πέπλον* scribatur *πεπτοῦ* (i. e. assum).

Eur. Herc. fur. 944 sqq.

ὡς τὰ Κυκλώπων βάθρα
φοίνικι κανόνι καὶ τύκοις ἡρμοσμένα
στρεπτῷ σιδήρῳ συντριαινώσω πόλιν.

Haec. codd. Per se fieri potest, ut a verbo *συντριαινώσω* cum *Κυκλώπων βάθρα*, tum *πόλιν* dependeat. v. 978. 992. Hel. 77. Troad. 361. Krueg. gramm. 57. 10. 6. Sed *πόλιν* ieiuna quaedam et insulsa est appositio, nisi cum aliquo epitheto ornante est coniunctum; quam ut duritiem tolleret Scaligerus minutissima mutatione emendavit *πάλιν*, quod haud longe recedit a codd. lectione. At ea in re me quidem non habet assentientem et mirandum est, quod omnes fere editores recentiores illum sunt secuti. Equidem me

---

*) Ne dixeris quem flagito sensum vel in *καλῶς γ' ἐποίησε* inesse: nam haec verba apud Graecos erant formula gratias agendi. cfr. Beck. a. h. l.

nescire ingenue profiteor, qua tandem probabili ratione *πάλιν* possit explicari neque quisquam interpretum aliquam attulit annotationem — iusta, ut mihi videtur causa, nam explicari omnino non potest. *πάλιν* vocabulum est aut „retro“, aut „iterum, denuo“. Utrumque planissime a nostri loci ratione abhorrere facillimum est intellectu. Rem mihi iterum iterumque revolventi in mentem venit in lectione *πόλιν* fortasse latere vestigia vocabuli *πέδοι* vel *πεδοῖ* (haec forma Aeschylo est adamata), quo recepto profecto nil remanebit offensionis. Hoc adverbium saepe, imprimis apud tragicos poetas coniunctum invenitur cum verbis, quibus inest significatio „cadere“ vel „destruere“, ut hic *συντριαινόω*. Aesch. Choeph. 47. 643. Agam. 357. Prom. 272 cf. Schneidew. Emend. Aesch. ind. lect. Goetting. 1841. pag. 4.

ibid. 978.

τόρνευμα δεινὸν ποδός.

Codex C exhibet *τόρευμα*, ita tamen ut inter litteras *ρ* et *ε* punctum sit interpositum, quod litteram quandam excidisse significare videtur. Apographon P coniunctim *τόρευμα* praebet. Wilamow. anal. Eurip. 54. 1. *τόρευμα* proprie est „bildwerk, schnitzwerk,“ dehinc „ein mit dergleichen arbeit verziertes gefäss;“ nostro loco significaret „sagitta“ quod prorsus est insolitum neque alibi invenitur. Stephanus proposuit *πόρευμα* et accipit *πόρευμα δεινὸν ποδός* ut appositionem ad antecedentem versum: „er treibt den knaben um die säule, ein schreckensgang,“ ubi vero genetivus *ποδός* male abundat. Passowius h. l. ita explicat: die schwingung, das schleudern, indem man jem. beim fusse erfasst. Sed Herculem puerum pedibus com-

prehendere, eius rei ne minimum quidem potest inveniri vestigium in contextu verborum. Matthiae scripsit τόρνευμα, quod maxime cohaeret cum lectione cod. C, quo significari vult ἕλιγμα vel κύκλωμα, latine: „circumactus. Atque fac τόρνευμα esse rectum, tamen qui sit eius connexus cum sequentibus aut antecedentibus, minime perlucet, nisi forte cum Wilamowitzio κυκλῷ commutare mavis in κυκλῶν atque explicare: er macht furchtbar rasche wendungen des fusses. Sed quomodocumque res sese habet, verba codd. plane desperata esse in professis est. Turget oratio atque est inflata continetque magnam duritiem, quam incongruam esse sermonis Euripidei magnificentiae ac colori dramatico nemo potest negare. Itaque crediderim hunc versum esse spurium atque insertum ab interpolatore inscito stolidoque, qui rem iusto copiosius volebat depingere, Accedit — atque id vehementer favet opinioni meae — quod vocabulum τόρνευμα nonnisi apud scriptores recentissimos reperitur, dummodo fidem nobis liceat habere Stephano*).

---

*) In re explicanda haud facio cum Wilamowitzio; potius putaverim puerum nimis lato, Herculem vero angusto ambitu circum columnam currere, qua re patri copia fiebat filium praevenire sagittamque in eum immittere. cf. Conradt. Fleckeisen. annal. 149 (1884) 247. IX. 2 nota.

Sed haec quidem hactenus. Iam loci angustiis coactus subsisto neque habeo quod addam nisi ut orem, ut venia detur hisce studiorum primitiis.

Scripsi Kiliae m. Febr. 1899.

Gustavus Wörpel,
stud. phil.
